



SANctus Synderolphus foelici ingenio & opti-  
 ma indole ornatus fuit. Itaque parentes eum  
 Fuldam ad scholam celeberrimam destinaruēt, ut  
 & pietatem imbiberet, atque etiam bonis artibus  
 & disciplinis operam daret. Nam eo in loco ueluti  
 in frequentissima Academia uiri doctissimi cō-  
 ueniebant, atque iuuentutem instituebant. Vnde  
 factum ut Synderoldus diligenti lectionum repe-  
 titione omnes commilitones suos superarit. Cum  
 itaque Ludbertus Archiepiscopus Moguntinus  
 fati concessisset, communi eius Ecclesiae consen-  
 su Synderoldus in defuncti locum electus fuit.  
 Renuebat quidem is egregie, atque sua sorte con-

tentus Fuldae studijs incumbere malebat. Verum illi adeo instabant, ut tan-  
 dem consenserit. Eam itaque uocationem suscipiens, omnia in Ecclesia ma-  
 gna diligentia administrauit, atque suo exemplo ceteros ad uirtutes prouo-  
 cauit. Ea cum ageret, superuenere Nordmanni, qui altero Episcopatus An-  
 no, qui erat octingentesimus nonagesimus primus post Christum natum,  
 Rheni tractum crudeliter uastarunt, atque urbes occupatas diripuerunt. In qua  
 calamitate etiam Synderoldus interiit. Itaque cum omnia patienter ferret, po-  
 stea inter sanctos relatus fuit. Anon. in Arch. Mog.